Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38295
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



populi loquentes: Micheas fuit propheta in diebus Ezechiae regis Iuda et ait
ad omnem populum Iudae dicens: Haec dicit dominus exercituum: Sion quasi
ager arabitur et Hierusalem in acervum lapidum erit et mons domus in ex
celsa silvarum; Numquid morte condempnavit eum Ezechias rex Iudae
et omnis Iuda? Numquid non timuerunt dominum et deprecati sunt faciem
domini et paenituit dominum quod locutus fuerat adversum eos? Itaque non faciamus
malum grande contra animas nostras.

Principes civitatis et populus intellegunt iudicii veritatem; senes
autem quorum propriae erat nosse vetera replicant historiam et pro
phetiam Micheae de Morasti qui prophetavit sub rege Ezechia, conparantes
prophetiae Hieremiae pro qua ei mortis crimen intenditur; ostenduntque illum
dixisse ea ratione, et tamen a iusto rege Ezechia nihil esse perpessum, sed
conversus ad paenitentiam dominum in bonam partem vertisse sententiam; Mi
cheas enim dixit: Sion quasi ager arabitur et Hierusalem in acervum lapi
dum erit et mons domus in excelsa silvarum. Porro Hieremias: Dabo
inquid domum istam sicut Silo et urbem hanc dabo in maledictionem cunctis
gentibus terrae. Dantque consilium putantes nequaquam futurum quod Mi
cheas praedixerat quia multo tempore non sit factum propter populi
paenitentiam; et hoc quoque quod Hieremias locutus est nequaquam
fore si iuxta consilium eius bonas faciant vias suas et studia sua et audiant
vocem domini dei sui, ut dominus non inferat malum quod eis fuerat comminatus.
Simulque frangunt accusatorum rabiem et se miscent cum eis dicentes:
Itaque nos facimus malum grande contra animas nostras non quo facere debe
ant, sed quia si fecerint nequaquam noceant accusato sed animabus suis
quas mutatione sententiae poterint liberare.

Fuit quoque vir prophetans in nomine domini Urias filius Semei de Cariathia
rim et prophetavit adversum civitatem istam et adversum terram
hanc iuxta universa verba Hieremiae. Et audivit rex Ioachim et
omnes potentes et principes eius verba haec et quaesivit rex interficere eum;
et audivit Urias et timuit fugitque et ingressus est Aegyptum, quod quae sequitur.
Et misit rex Ioachim viros in Aegyptum Elnatam filium Achabor et viros